

onerare. In qualibet autem septimana has missas, nominatim scilicet in secunda et sexta feria pro defunctis cum speciali collecta, in remedium dictorum dominorum Jo. sacerdotis et Friderici, in quarta vero feria missam pro peccatis cum collecta de domina nostra et collecta pro pace idem vicarius per se vel per alium, ut dictum est superius, celebrabit. Si autem hae trinae missae iam nominatae propter festa, quae in his diebus occurrerent, servatae non fuerint, in praecedenti vel sequenti ebdomata missa neglecta fideliter suppleatur. In omnibus nihilominus missis idem vicarius, quando vivorum et mortuorum habetur memoria, inter vivorum domini Hermanni de Lubyn, Reynhardi et suorum patruorum et heredum ipsorum de Hoynsberc, inter mortuorum autem praedictorum Jo. sacerdotis et Friderici et cum de medio vocati fuerint Reynhardi et patruorum suorum ac omnium amicorum suorum specialem cum omni devotione memoriam agere teneatur. Ad haec profitemur, quod de nostra licentia et consensu ius patronatus et conferendi dictam vicariam quotiens eam vacare contigerit, dicti fratres pro se et heredibus suis reservarunt. Omnia nihilominus et singula in hac littera contenta per praedictos fratres disposita et ordinata approbamus legitime confirmantes perpetue duratura. Ut igitur omnia et singula praemissa a nemine infringi aut calumpniari valeant, sed potius inconcussa perpetuae firmitatis robor obtineant, nostri sigilli et capituli nostri munimine praesentem paginam duximus roborandam. Facta sunt haec anno domini M^o. CCC^o. XLIII^o. sequenti die Bartholomaei apostoli in choro ecclesiae canonicorum regularium in Misna, praesentibus honorabilibus viris et dominis Conrado de Strelis praeposito, Henrico decano ecclesiae nostrae Misnensis, Hermanno archidiacono Nisicensi, Arnolde et Alberto in Hayn et in Budissin praepositis, Jo. de Miltizc et Friderico de Herstein militibus et aliis quam pluribus fide dignis.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen mit den Siegeln des Bischofs, Reynhards von Hoynsberc (Vogel) und des Capitels an Pergamentstreifen.

No. 446. Zwischen 1343 und 1346.

Markgraf Karl von Mähren ersucht den B. Johann einen Geistlichen seiner Diöces, der dem Vernehmen nach geraubtes Gut bei sich verberge, zur Herausgabe desselben anzuhalten.

Venerabili in Christo patri et domino domino . . Jo[hanni] Misnensi episcopo Karolus domini regis Boemiae primogenitus, marchio Moraviae, sinceram ad quaevis eius beneplacita voluntatem. Significamus vobis, quod quidam vester clericus nomine Johannis, plebanus in Milsse^a), de illa pecunia, quae hoc anno iuxta Stalburch^b) civibus Pragensibus per Jo. Boemum, fratrem dicti plebani et suos complices spolio est ablata, magnam satis apud se in deposito obtinet quantitatem, prout dictorum civium occultus nuncius, quem ad partes miserant inquisitione diligenti visitare, realiter didicit et affirmat, et in eo verisimiliter patet, quod idem Johannes hoc anno Pragam ad nundinas veniens aureos huius pecuniae ibidem vendidisse dicitur et fratri suo praedicto spadonem, licet per interpositam personam, pro undecim sexag[enis] grossorum

a) Mülsen (St. Nicolai, St. Jacobi oder St. Michaelis) bei Lichtenstein. b) Stolberg im Erzgebirge.